

27. In specie autem de sponsalibus conditionatis dicendum est ex ipsis non oriri impedimentum publicæ honestatis, antequam conditio implementum suum habuerit. Ita expresse docet Bonifacius VIII. *in cap. un. De spons. et matrim. § 'Ille vero'*. Notat enim Pontifex conditionatum consensum ante purificatam conditionem non esse verum consensum. Quare jus pendente conditione non agnoscit illam conjunctionem animorum inter sponsos, ex qua exurgit justitia publicæ honestatis.

Quæ dicta sunt de sponsalibus conditionatis intelligenda sunt in hypothesi, quod apponantur conditiones honestæ et possibiles. Istæ enim revera suspendunt obligationem.

28. Quid vero si apponantur conditiones inhonestæ vel impossibiles?

Procul dubio conditiones contra substantiam matrimonii reddunt nulla sponsalia. Nam qui non vult contrahere matrimonium, aliquid intendens contra substantiam ejus, nec præsumitur se velle obligare ad illud contrahendum de futuro.

Eadem porro conclusio tenenda est si sponsalibus accesserint conditiones vel simpliciter turpes vel impossibiles, ita scilicet ut contractum ipsum vitient, nullumque reddant. Nam sponsalia veniunt sub censu aliorum contractuum, qui a conditionibus turpibus vel impossibilibus nullius roboris fiunt. Quod enim de futuro est, non potest sub hisce conditionibus promitti.

29. Neque obstat ratio deducta ex matrimonio, nam favor juris concessus matrimonio non legitur concessus sponsalibus. Quæ proinde remanent sub dispositione juris communis contractuum cæterorum.

30. Quæritur utrum valeant sponsalia contracta inter personas impedimento Ecclesiastico ligatas sub conditione '*Si Pontifex dispensaverit*'; ita ut illico post datam dispensationem, transeant in absoluta sponsalia.

31. Scinduntur Doctores in duas sententias. Qui dicunt sponsalia in hypothesi esse valida duo requirunt; 1<sup>o</sup>. ut impedimentum sit juris Ecclesiastici; 2<sup>o</sup>. ut hoc impedimentum tale sit, de quo soleat Pontifex dispensare, si enim dispensatio non soleat concedi, conditio induit indolem conditionis impossibilis, cui consensus alligari nequit.

Porro datur impedimentum, in quo dispensatio non conceditur uti est impedimentum affinitatis ex copula licita, in primo gradu

lineæ rectæ. Quibus positis sponsalia sub conditione: *si Pontifex dispensaverit*, censentur esse inita sub conditione honesta et possibili. Ergo purificata conditione obligant.

32. Alii autem tenent sponsalia hujusmodi esse invalida, et tunc solum valorem adipisci, cum post obtentam dispensationem, iterum consensu præstito firmentur.

Nos huic sententiæ assentimur. Ratio autem quæ ejus probat veritatem multiplex affertur.

1<sup>o</sup>. Quia conditio, *si Papa dispensaverit*, ceu aliena a jure communi et dependens a voluntate principis, habenda est juridice impossibilis, juxta *legg. 83. et 173. ff. De v. ob.* Hæc autem ratio quæ a fautoribus hujus sententiæ affertur, mihi non videtur probare; potius valet 2<sup>a</sup>. et 3<sup>a</sup>. ratio.

33. 2<sup>o</sup>. Quia contractus sponsalitiis debet celebrari inter personas de jure habiles. Jam vero posita inhabilitate, quidquid a personis inhabilibus agatur, coram lege perinde habetur, ac si actum non esset. Sumatur exemplum contractus mulieris absque decreto judicis, ubi decretum judicis, habilitans requiritur. Hinc existente impedimento, consensus non potest esse ullo modo legitimus sub forma conditionata, nec ullam parere potest obligationem ad contrahendum matrimonium. Quare ut valeant sponsalia, consensus sponsalitiis renovandus est tempore habili, idest post obtentam dispensationem ab impedimento. Dispensatio enim quæ supervenit, reddit quidem personas habiles ad contrahendum matrimonium, sed non dirigitur ad sanandum defectum sponsalium jam contractorum. Idest respicit ad futurum non vero ad præteritum tempus, et ab epocha acceptæ dispensationis, personæ possunt sese obligare ad contrahendum matrimonium de futuro.

34. 3<sup>o</sup>. Si attendantur resolutiones S. Congregat. Concilii hoc idem probare videntur. Sane in causa 'Melutana' sponsalium die 22. Febr. 1862, species proponebatur duorum qui in secundo consanguinitatis gradu constituti, sponsalia inierant, et dispensatione expetita cognoverant Pontificem eorum precibus adhæsisse, onere tamen imposito oratoribus, sese ab invicem per mensem separandi, et bis pœnitentiæ tribunal adeundi; separatio facta est in obsequium Pontificiæ auctoritatis. Viro autem inde renuente, datam sponsalitiæ fidem observare, proposita est quæstio de impedimento sponsalium, et responsum est sponsalia illa valorem juridicum non habuisse.

35. Insuper præter alias adduci potest resolutio in causa 'Januensi' sponsalium diei 12. Decemb. 1733 in qua cum ageretur de sponsalibus initis inter personas quarto gradu consanguinitatis conjunctas, et juramento firmatis, animo et spe obtinendi dispensationem a Romano Pontifice, et quamvis a Pontifice obsignata jam fuisset dispensatio, tamen Sacra Congregat. respondit, sponsalia esse nulla, nec mulieri pro valore sponsalium pugnanti profuit dicere, virum non ignorasse dispensationem fuisse obsignatam a Pontifice die 15. Julii, et sponsalia confirmasse subsequenti die 20. Julii; nam satis fuit, viro opponere, exceptionem qua dixit literas Apostolicas exhibuisse, non gratiam factam, sed mandatum ad indulgendam dispensationem. Unde quando die 20. Julii vir rata habuit sponsalia, dici nondum poterat, dispensationem fuisse concessam.

Hæ sane resolutiones satis ostendunt mentem S. Congregationis fuisse, non retinendi ceu valida sponsalia inter personas inhabiles etiam contracta cum conditione, *Si Papa dispensaverit*, nisi post obtentam dispensationem consensus fuerit renovatus. Nam omnia parata fuerant, et partes dubitare amplius non poterant de exitu felici conditionis contractui adjectæ. Igitur pro ipsis uti purificata conditio censi poterat. Et tamen uti nullius valoris declaratus est ipse contractus. Ergo non sufficit eventus conditionis ad confirmanda sponsalia hujusmodi, sed requiritur aliquid amplius, idest novus partium consensus post acceptam dispensationem emissus.

36. Scio ex adverso opponi, in nulla ex allatis causis fuisse propositum casum dispensationis jam expeditæ et executioni mandatæ, sed causas allatas exhibere ad summum dispensationem concessam per rescriptum in forma *commissoria* ab Ordinario executioni mandanda; sed tamen animadvertimus cum non agatur de executione facienda in via contentiosa post Pontificiam concessionem, executionem procedere *de plano*, et reduci potius ad negotium formæ, quam ad negotium juris.

Hinc post datas resolutiones eo res devenerant, ut si proponeretur S. Congregationi casus dispensationis jam plenæ expeditæ, et ab alterutra parte non fuisset renovatus consensus post acceptam et expeditam dispensationem, arbitramur S. Congregationem fore responsuram contra valorem sponsalium, et pro libertate contrahentium.

37. Hæc porro esse videtur œconomia S. Congreg. ut eliminet si fieri posset mores minus honestos, et periculis plenos, inter propinquas personas, etiam sub conditione futuræ dispensationis inceptos. Ea insuper videtur esse œconomia hodierna S. Congregat. ut ad evitandos malos exitus coactionis in materia conjugii, quo fieri possit, restringat legitimos contractus sponsalitios, nec tribuat valorem juridicum, non nisi illis sponsalibus de quibus nullum dubium oriri potest.

Hæc dicta sint de conditionibus. Præter conditiones contractibus adjici potest:

#### Modus, Demonstratio, Causa.

38. *Modus est 'adjectio oneris, ad quod post contractum volumus obligare alterum contrahentem'*. Regulariter exprimitur per conjunctionem *Ut*; ex. gr. *contraho tecum ut mihi utile opus procures*.

Modus proprie distinguitur a conditione. Nam licet conditio possit etiam ipsa importare onus, quemadmodum est conditio potestativa, tamen conditio supponit contractum non perfectum, sed suspensum et imperfectum usque ad conditionis ipsius complementum; modus contra supponit contractum perfectum in suo esse. Hinc ajunt, modum gignere obligationem principalem, distinctam ab obligatione contractus, pro qua exigi poterit congrua cautio.

39. Quid si modus adjiciatur matrimonio?

Modus hic vel est contra substantiam matrimonii, vel est turpis simpliciter, vel est impossibilis, vel est honestus et possibilis.

Modus contra substantiam matrimonii nullum reddit ipsum matrimonium. Nam significat partes non bene sentire de substantia matrimonii, et unus censetur imponere, alter vero acceptare obligationem, quæ destruit ipsum contractum matrimonii, quare contrahentes merito præsumuntur, noluisse celebrare verum et genuinum contractum matrimonii. Exemplum adduci potest ex cap. ult. h. t. Illa enim conditio '*Contraho tecum donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiolem*' non est proprie dicta *conditio* sed potius *modus* contra substantiam matrimonii.

Modus simpliciter turpis aut impossibilis nullius est valoris, ac proinde matrimonium valet, nec obligatio inde exurgit, ad observandum adjectum pactum. Præsumuntur enim contrahentes non

serio modum contractui adjecisse. Modus honestus et possibilis observandus est.

40. *Causa est ratio ob quam quis contractum conficit, et solet exprimi, per particulam causalem quia.*

41. *Demonstratio est affinis causæ et nihil aliud est quam 'expressio alicujus qualitatis, quæ supponitur in persona cum qua contrahitur' ex gr. contraho tecum quæ es filia Ducis.*

Specificum discrimen inter causam et demonstrationem est, ut causa exprimat motivum quod impellit ad contrahendum, demonstratio vero indicit quænam sit intentio contrahentis, vel circa personam, vel circa qualitatem, quæ in mente versatur.

42. Ex qua notione patet falsam causam, vel falsam demonstrationem matrimonium irritare in duplici hypothesis, 1<sup>o</sup>. si error causæ vel demonstrationis sit substantialis, idest si sit error in personam vel si afficiat qualitatem, quæ in personam redundat; 2<sup>o</sup>. si falsa causa vel falsa demonstratio in conditionem transeant, idest si appareat consensum causæ vel demonstrationi fuisse alligatum tanquam conditio sine qua non.

#### TITULUS VI.

Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.

##### I.

##### De Clericis.

1. Clerici in *sacris* ordinibus constituti, nec licite nec valide matrimonium contrahunt; eos enim Ecclesia inhabiles reddit ad contrahendum. Ita in *cap. 1. et 2. h. t. in cap. un. de voto in VI. et in can. 9. sess. 24. De Reform. matrim. Conc. Trident.* Hinc ordo major est impedimentum dirimens matrimonium ab Ecclesia inductum.

2. Quod si clericus in majori ordine constitutus, matrimonium attentaverit, juxta *cap. 1. De clericis conjug.* compelli potest per suspensionis et excommunicationis censuram, ad dimittendam mulierem et ad agendam pœnitentiam.

3. Ex dispositione *capp. 1. et 2. h. t.* nec non 4. *'De clericis conjug.'* clerici majores attentantes matrimonium fiunt irregulares. Quin immo juxta *Clem. un. 'De consang. et affin.'* ipso facto incurrunt excommunicationem.

Ab hac excommunicatione et irregularitate inspecto jure communi potest Episcopus absolvere, si clericus vere resipuerit, et pœnitentiam egerit, dummodo non contraxerit cum vidua. *Capp. 1. et 2. h. t.; cap. 4. De clericis conjug., cap. ult. de Bigam. non ordin.*

Verum accessit praxis Sacræ Inquisitionis, quæ clericos majores matrimonium attentantes considerat et punit veluti suspectos de hæresi vel de *vehementi* vel *levi* juxta facti circumstantias. Hinc hodie non potest Episcopus dispensare, circa irregularitatem prædictam post peractam pœnitentiam.

4. Quid vero dicendum de excommunicatione?

Notamus in constitutione *'Apostolicæ Sedis'* inter excommunicationes latæ sententiæ Episcopo sive ordinario reservatas sub num. 1. decerni hanc pœnam contra clericos in sacris constitutos, matrimonium contrahere præsumentes, nec non contra omnes, cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes. Quare quoad excommunicationem absolutio potest ab Episcopo seu ab ordinario concedi.

5. Clerici in *minoribus* ordinibus constituti, licite et valide contrahunt matrimonium, at eo ipso privantur Ecclesiasticis beneficiis, si quæ habent. Factum enim ipsum consideratur ceu renunciatio clerici ipsius, qui amplectitur statum ab Ecclesia Latina, ceu incompatibilem consideratum cum divinis officiis et obsequiis, quibus clericus mancipatus esse debet. Unde nec requiritur declaratoria sententia judicis. Unde clericus illico decedit a jure percipiendi fructus beneficii sui. Deducitur hæc conclusio ex *cap. 5. De cler. conjugatis.*

Reliqua in *tit. De convers. conjug. De clericis conjug. De tempore ordination. et qualit. ordinandorum.*

##### II. De Voto.

6. Votum *solemne* irritat matrimonium quod post votum emissum contrahitur.

Votum autem *simplex* solummodo *illicitum* reddit matrimonium, *cap. 3. 4. et ult. h. t.; cap. un. 'De voto' in VI<sup>o</sup>. et can. 9. sess. 24. De Ref. matrim. Conc. Trid.*

7. Verum votum *simplex* duplici in casu matrimonium irritat, 1<sup>o</sup>. Votum castitatis emissum a muliere quæ consentit virum suum